



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

§. II. Corollaria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

Originem, qui l. 1. periarcon. c. 6. poenas damnatorum, etiam ipsorum demonum aliquando per DEI misericordiam finiendas esse asseruit, definitum est in Conc. Later. c. *firmiter*, de Summ. Trin. Trid. Sess. 6. cap. 14. & 25. Sess. 14. cap. 5. Habetur If. 66. Marci 9. & Matth. 25. *Ibunt hi in supplicium aeternum*, sive ut D. August. legit, *in combustionem aeternam*. Et Apoc. 14. *Cyrciabuntur igne & sulphure in secula seculorum*. Idem habetur in Symbolo Athanasii & passim apud SS. PP.

2. Suppono secundò. Hanc gehennam & infernalium poenarum aeternitatem esse de fide quoad legem DEI ordinariam: quã non obstante valde probabile est, per extraordinariam DEI legem & singulari DEI privilegio de facto aliquos ab inferis revocari. Nam ut relinquamus Trajani Imp. relationem, quem aliqui precibus D. Gregorii ex inferno ereptum tradidere, & tanquam probabile refert S. Th. in 4. d. 45. q. 2. a. 2. quæstionum. 1. Baronius tamen to. 6. ad an. 604. fabulam reputat, risu potius despiciendam, quam disputatione seriã confutandam: nec immeritò, cum constet, illum Imperatorem non tantum fuisse crudelissimum Christianorum persecutorem, sed etiam pederastiã vitio inquinatum, etsi aliàs eximium iustitiã cultorem: Nihilominus è sacra & Ecclesiastica historia constat, multos à Christo, Apostolis, aliisque Sanctis, tum etiam intercessione Beatissimæ Virginis fuisse miraculose ad vitam revocatos, è quibus aliqui fuere infideles, idololatræ, peccatores, & in eum finem ad vitam revocati, ut converterentur, & poenitentiam agerent, adeòque fuerunt à tormentis infernalibus, sive illa in loco inferni sive in alio juxta Divinam iustitiã ordinationem paterentur, liberati. His postis, ad quæstionem articuli sit

3. CONCLUSIO. *Peccatum mortale per se, & ex intrinseca sua malitia inducit reatum poenae aeternae.* S. D. a. 3. & 4.

Ratio est: Peccatum ex se habenti inordinationem irreparabilem per se debetur poena aeterna, & interminabilis: sed peccatum mortale habet ex sua natura inordinationem irreparabilem, ergo ipsi per se convenit debitum & reatus poenae aeternae. Major probatur: quia quamdiu manet causa necessaria, tamdiu manet effectus ipsius: sed peccatum est causa necessaria reatus poenae: ergo quamdiu manet peccatum & culpa, tamdiu manet reatus poenae: atqui in peccato habente ab intrinseco irreparabilem inordinationem culpa manet interminabiliter: ergo etiam ipsi respondet reatus poenae interminabilis.

Minor etiam ostenditur primò: quia peccatum mortale hominem avertit & deordinat ab ultimo fine ex propria sua ratione: sed deordinatio ab ultimo fine est naturã suã irreparabilis: quia ultimus finis in moralibus, est sicut primum principium in speculativis; error autem circa prima principia est irreparabilis. Secundò, quia illa inordinatio est irreparabilis, per quam destruitur principium totius ordinis supernaturalis, nimi-

rum gratia & charitas; sicuti propterea mors & cæcitas sunt naturã suã irreparabiles, quia illa destruit principium vitæ, ista verò principium vitæ: sed per inordinationem peccati mortalis destruitur gratia & charitas, tanquam principium radicale totius ordinis & vitæ supernaturalis: ergo.

§ II.

Corollaria.

4. Inferes ex dictis primò. Poenam inferni, etsi sit extensivè seu quoad durationem infinita, utpote interminabilis & sine carens, non tamen esse simpliciter infinitam; nec quoad poenam damni, hoc est privationem visionis beatificæ, nec quoad poenam sensus, h. e. afflictionem dolorosam ab igne extrinsecus illatam, quam in Tract. de Angelis exposui.

Ratio est primò. Malitiã simpliciter finitæ non nisi poena finita respondere debet: atqui peccati malitiã est simpliciter finita: ergo. Neque dicas, esse infinitam in ratione offensæ: nam offensæ non respondet poena, sed satisfactio; ideoque ad condignè satisfaciendum pro peccato mortali etiam requirebatur infinita satisfactio.

Ratio est secundò. Visio beatificæ non est simpliciter & subjectivè infinita: ergo nec privatio visionis quæ est poena damni. Implicat etiam qualitas physica infinite intensæ: sed poena sensus activè consistit in dolorifera qualitate ab igne infernali impressa: ergo non potest esse simpliciter infinita.

Inferes secundò. Peccatum veniale non inducere reatum poenae aeternae, quia non avertit efficaciter ab ultimo fine, & relinquit principium vitæ ac ordinis supernaturalis, ex quo peccans se ipsum reparare, & veniale peccatum potest extinguere.

6. Objicies: Poena debet esse proportionata delicto: quia ut dicitur Deut. 25. *Pro mensura peccati erit & plagarum modus*: sed poena aeterna nullam habet proportionem cum culpa mortali: ergo culpa mortalis per se non inducit poenam aeternam. Minor probatur: quia peccatum mortale est saepe momentaneum; at poena aeternam durat.

Respondeo primò, non esse necessariam proportionem inter durationem poenae, & culpæ: nam etiam pro brevi delicto mors irreparabilis & exilium perpetuum infligitur.

Respondeo secundò ex S. D. hic q. 87. a. 3. ad 1. quòd peccans mortaliter, interpretativè & virtualiter velit aeternum peccare, in quantum aeternam DEI fruitionem bono creato postponit, & in hoc suum ultimum finem constituit, ponendo inordinationem ab intrinseco irreparabilem, in qua sufficiens fundatur proportio.

